


GERARDI IOANNIS VOSSII
DE
THEOLOGIA GENTILI,
ET
PHYSIOLOGIA CHRISTIANA;
five
DE ORIGINE AC PROGRESSV
IDOLOLATRIÆ,
ad veterum gesta, ac rerum naturam, reductæ;
DEQVE NATURÆ MIRANDIS,
quibus homo adducitur ad Deum,
LIBER III, ET IV.

Library of Congress Cataloging in Publication Data

Vossius, Gerardus Joannes, 1577-1649.
De theologia gentili.

(The Renaissance and the gods ; no. 28)
Reprint of the 1641 ed. (Amsterdami, Apud I. &
C. Blaeu)
1. Idols and images--Worship. 2. Religions.
I. Title. II. Series.
BL485.V6 1976 291.2'1 75-27872
ISBN 0-8240-2077-4



AMSTERDAMI,
Apud IOH. & CORNELIVM BLAEV.
MDCXXXI.

Printed in the United States of America

tum Observationum Poeticarum cap. LII. Nec minor in aliis animantium affectionibus est diversitas. Hoc animal pedibus velox, illud pennis, pinis aliud. Quod pulmonibus hoc, id branchiis aliud præstat. Videas, quæ vix edita in lucem solidum petant cibum: alia item, quæ lac sugant, docente nullo. Quod si attendas τὸ θυμικόν *, hæc fronte, cornibus alia, aliæque unguibus se defensitant. Et quàm disparia hæc, quòd quædam cavernas sibi, vel cuniculos fodiant: quædam verò sibi, & pullis, parent nidos. Iam prope viatico opus sit, si hac viâ enumerare etiam velim solertia animantium ingenia: de quibus, & aliis multis, particulatim postea dicetur.

Atque horum notitia rapere nos debet in admirationem magni Numinis, quod muta hæc animantia sic condidit. unde ea ad laudandum Dominum invitat divinus psalter in cXLVII, 10: *Laudate Dominum, bestie, & universa pecora, serpentes, & volucres pennate.* Ad pisces verò pertinet, quod antecessit: *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi.* Nam quod de abyssis subditur, arguit, rectè à Chrysostomo, Theodoro, atque aliis, intelligi dracones aquaticos, sive balænas, & cete immania. Quomodo & vox ea accipitur Psal. LXXIII (sive Hebr. LXXIV) 14, & Psal. CIII, sive CIV, 26. Item Ies. xxv, 1, ubi vulgata, *Occidet cetum, qui in mari est:* LXX habent, καὶ ἀνέλκῃ τὰ δράκοντα. Quantopere etiam S. Iob nos ex consideratione animalium ad Deum excitat cap. xxxv, 1, 36! *Quis, inquit, posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* Quem tamen locū multò aliter reddidere LXX: nempe de mulieribus, quæ more Babylonio, vel Phrygio, aut versicoloribus texunt licis, aut acu variè pingunt flosculos, & animalium formas. Sed de gallo gallinaceo, cantu suo horas distinguente nocturnas, præter vulgatum interpretem Latinum, etiam cepere Thalmudici, & Hebræorum alii. Chaldæus paraphrastes utramque interpretationem conjunxit. De hac verò galli intelligentia Plinium ad lib. x, cap. xxi. Sequitur vers. 39, & 40: *Nunquid capies leonæ prædam, & animam catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, & in specubus insidiantur?* Quasi dicat: Quòd leones, & scylaces eorum, cum in lustris suis insidias demisso struunt corpore, ut sic ex præda vivant; utrū id humanæ esse credis industriæ, an providentiæ potiùs divinæ? Quamquam & alteram interpretationem legere possis apud Franciscum Valesium Philosophiæ sacræ cap. LV. Hinc vers. 41: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eò, quòd non habeant cibos?* Vbi famelici corvorum pulli dicuntur Deum implorare, non quasi numen aliquod esse intelligant; sed quia, ut ex Aristotele, Plinio, & Eliano, constat, mos corvis est pullos suos maturè nido expellere ad cibum conquiendum. Hi ergo

ergo, tum à parentibus deserti, cum clamore vagantur; quem errantium clamorem Deus habet pro precatione: unde iis, alioqui perituris, prospicit à cibo. Gregorius M. in Moralibus cepit hunc locum de pullis in nido altis. Sed obstat, quod de pullis jam vagantibus sermo sit. Tamen sic quoque divinæ fuerit providentiæ commendatio, secundum illud Christi apud Matthæum vi, 26: *Videte volatilia celi, &c.* Et hoc Iobi, sic caput xxxix ordientis: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum? Incurvantur ad fœtum, & pariunt, ut rugitus emittunt. Separantur filii earum, & pergunt ad pascuum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.* Hebræi ajunt, eò respici hoc loco, quòd ibices, sive, ut Plinius vocat, rupicapræ, instante partu, rupes conscendant, inde dejecturæ fœtum: Deus autem summittat aquilam, quæ alis excipiat, ne pereat: quòd item, cervis parere nequeuntibus, mittat serpentem, quæ, arrodendo ejus matricē, aperiat viam fœtui. Sed sunt hæc planè commenticia: estque sententia simplicissima; nesciri exactè, quando pariant ibices, & cervæ: præterea, animantia hæc difficilis esse partus, sed divinam iis curam obstetricari. Quomodo fulmen faciliorem credatur partum cervis reddere, diximus hujus libri cap. vi. Ac ex Aristotele, & Plinio, constat, eas sili herbæ ante partum vesci, ut is facilius sit: ac post partum quoque eā uti ad sese purgandum. Sequitur deinde apud Iobum: *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis? Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirat.* Non, inquit, cum onagro comparatum est, uti cum equis, & bubus; quibus, quia in hominis sunt potestate, facile à victu prospicitur: onager verò, immunis ab omnibus vinculis, vagatur per solitudinem, & terram salsam, sive sterilem: nempe ejus cura est Deo, qui ei in montibus prospexit ab herbis virentibus. Subjicitur hinc: *Nunquid volens rhinoceros servare tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? nunquid alligabis rhinocerotam ad arandum loco tuo? aut confringet glebas vallium post te? nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos? nunquid credes illi, quod semenem reddat tibi, & aream tuam congreget?* Quantacunque, inquit, potentia sit rhinocerotis, sive, ut alii reddere malunt, monocerotis: non tamen eò adduces, ut terram aratro proscindat. Hinc ista subjunguntur in Iobi historia: *Penna struthionis similis est pennis erodii, & accipitris. Quando derelinquit ova sua in terra, in forsan in pulvere calefacies ea? Obliviscitur, quod pes concalcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laboravit, nullo timore cogente. Privavit enim Deus sapientiā, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum, & adconsorem ejus. Ita reddidit*

reddidit vulgatus interpretis. Sed quæcunque mens sit primi ex istis versu-
culi (de quo neq; inter se Hebræi satis consentiunt) sequentia saltem nulli
magis conveniunt, quàm struthiocamelo. Hoc enim animal, cum ingentia
habeat ova, (qualia sæpius conspeximus) exclusisse ea contentum, defodit
illa sub arenis Libycis; parùm interea cogitans de periculo, quòd sic fa-
cilè possint conculcari. Verùm, in stupore istoc struthionis, curam Deus
ovorum gerit; quia facit, ut ea ardore Solis excludantur. Eamque exclu-
dendi rationem prætulit Deus, quia struthio tam vasto sit corpore, ut in-
cubando sit ova confracturus. Interim hinc Dei quidem Dei providentia;
sed pariter etiam relucet, ut pullorum oblivio capiat struthionem. Atque
hoc attendit Ieremias, cum in Threnis * ait: *Filiis populi mei crudelis, quasi*
struthio in deserto. Posti mortuorum, quæ attuli, verborum Iobi ea mens est:
struthionem, dum fugit equitem, ac venatores, pandendo alas, quasi ludi-
brio habere insequentes: tantæ enim esse velocitatis, ut cursu suo, quem
& adjuvat qualiscunque ejus volatus, facilè equorum, & canum, celerita-
tem exsuperet. Post ista sequitur: *Numquid præbebis equo fortitudinem, an*
circumdabis collo ejus hinnitus? Numquid suscitabis eum, quasi locustas? gloria na-
rium ejus terror. Terram ungula fodit, exultat audaciter: in occursum pergit arma-
tiis. Conemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit ha-
sta, & clypeus. Fervens, & fremens, sorbet terram; nec reputat, tubæ sonare clangorem.
Vbi audierit buccinam, dicit, Vih †: procul odoratur bellum, exhortatione ducit, &
ululatum exercitus. Quibus significatur, à Deo esse terribile illud equi ro-
bur; hinnitus illum, penè tonitruum similem; generosum illud, quando, con-
sistere nescius, ungula terram cavat; impavidus in bellum prodit; nec tot
sibi & equiti imminetibus terretur telis; cæque velocitate procurrit, ut
sorbere, aut deglutire viam, videatur; etiam, buccinam militem ad arma
ciente, quasi euge dicere, gratulantem sibi, quòd præliandum sit. Tandem
his Deus ad Iobum verbis sermonem suum concludit: *Numquid per præden-*
tiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum? numquid ad præ-
ceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, &
in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplam-
escam, & de longè oculi ejus prospiciunt. Pulli ejus lambent sanguinem, & ubi can-
que cadaver fuerit, statim adest. Sententia est: Deine, an hominis, opus pu-
tas instinctum illum naturalem, quo accipiter, dum pennas accipit novæ,
vel (ut Hebræa vox יאמר potius sonat) dum pennas utitur, potissimum vo-
let Austrum versus, qua parte cælum est calidius? Vel quòd aquila sic ex
nido altissimo prædam prospectat; velut cuniculos, lepores; quorum ipse
carnem vorat, pulli autem lambunt sanguinem?

CAPUT L.

Pergitur ad particularem notitiam animantium rationis expertium: ac primum ad
quadrupedes; in his ad elephantum; de quo prolixius Iobi locus enarratur. Quan-
do primum reperta videatur ratio necandi elephantis. Quam large bibat. Quan-
topere magnitudine varient elephantis Indici, ac Libyei. In India elephantis nobis
sive minoribus arari. Quandoque ad annum perungere ducentesimum, imò ultra.
Quanta animalis ejus sit sagacitas, partim iis ostensum, quæ natura norunt, partim
quæ disciplinâ addiscunt. Cur, priusquam bibant, aquam proboscide conturbent.
Quare in flumine transmittendo præeant minores. Elephantos etiam funambulos
fieri: maleque in dubium id vocari à Cæsare Scaligero. Eos adorare regem, sal-
tare in choreis, gesticulari in spectaculis. An ad Lunam diurna meditentur præ-
cepta; quod ajunt veteres; pro falso autem, vel incerto, habet Cæs. Scaliger. Imme-
rito esse Iusto Lipsio suspectum, quod Strabo scripserit, etiam narrationem addiscere.
Quomodo tantæ molis, virium, & sagacitatis bellua cicurescat; atque ut hominem
timeat, etiam antequam mansuefecerit. Hanc hominis reverentiam esse à natura,
sive Deo, datam bestiis: idque ipsos gentiles per nebula vidisse. Eoque etiam per-
tinere, quòd servire nolint in homines hunc in finem sibi objectos. In elephantis
exemplum aequitatis, & aliud probitatis, aliud reverentiæ erga majores. Lycærgi
lex de honore præstando grandibus natu. De more elephantis erga vitulos suos: de-
que eorundem pudore. De multiplici usu, quem ex iis mortuis capere est.

Videmus ex istis, quantopere nos Deus ipse incitet ad considerandam
animalium naturam; atque hoc propterea, ut inde adscendamus ad
eum, qui illa condidit. Quamobrem non abs re erit, si argumento huic
paullum insistam, ac particulatim quædam dicam de singulis animantium
generibus. Sunt autem animantia quinquuplicia; quadrupedia, aves, pi-
lices, reptilia, & insecta.

Quadrupedes inter elephas principatū tenet: de quo sic Iobus cap. xi,
10: *Eccè nunc Behemoth, quem feci tecum, herbam tanquam bos comedit.* Vbi per
Behemoth, LXX, & Chaldæus, intelligunt omnem bestiam terrestrem vastæ
molis: Hebræi autem ex ejus generis animantibus signari arbitrantur so-
lum elephantum: quos & Thomas Aquinas, & Nicolaus Lyranus, se-
quuntur. Hunc, inquit Deus, feci tecum, hoc est, eodem, ac te, die
creavi, & in eadem, ac te, terrâ constitui. Addit, boum more herbam co-
medere: quasi dicat, tam vastam belluam non incutere nobis metum, quia
bovis instar contenta sit iis, quæ in terra succrescunt. Et sanè tantum ab-
est, ut homini sit metuenda, ut odore, quo plurimum valet, animadverso
hominis vestigio, intremiscat; sicut ex Plinio inferiùs dicemus. Mox versu
sequente

CAPUT LVI.

Proverbiū, Nullus ovium usus, si absit pastor. Ignea vis in dentibus aprorum. Cūm quorundam id robur, ut etiam elephantum prosteruant, aut leonem: & ut gentes varie eorum opera uti soleant adversus hostes: deque canibus cccc hunc in usum Carolo v Imp. ab Angliæ rege Henrico viii missis. Vnde rhinocerotis nomen. Quando rhinoceros, licet viribus inferior, & quomodo vincat elephantum, Quis animal id primus ostenderit populo Romano. Commissum illud cum uro. Monocerotis bellum cum elephanto. Livium Andronicum boves dixisse cornifrontes: etsi aliter visum Ios. Scaligero. Vri vox etiam veterum Gallorum, & Germanorum. Iam Plinii ætate Romani bubulum pro uro dixerunt: antiquioribus autem bubulus erat & caprearum genere. Bisonum robur, & unde ita dicti. Cur bonaso etsi vastissima sint cornua, ad pugnam tamen inusilia sint, & ut alius ei prospexerit Deus, ac quousque ejaculetur finem. Orgya quid. Cur ceruum nihil præsidii ponat in amplis cornibus. De animalis alio ceruum magnâ parte referente, dentibus valido, sequæ, cornuum beneficio, securè de turri demittente. Quanta sylvestri tauro, ac hippopotamo, sit tergoris durities. Qua parte imprimis valeant ursi, & quanta iisdem capitis imbecillitas. Onagri, & alcis, vis in ungulis; crocodili, in cauda; hystricis, in spinis.

Nec corpus solum mole augetur, verum robore etiam: quo alia aliis longissimè antistant. Ovis quidem nec vires sunt ad se tuendum, nec arma ad alios impugnandum; imò nec celeritas ad capeffendam fugam, neque ingenium ad se alicubi condendum: ut placidum hoc animal præ cæteris egcat pastore; unde vetus adagium: *οἰνὸν ὁ ποιμὴν ἀπὴν • ovium nulla utilitas, si pastor absit.*

Contrà aliorum quadrupedum multa mirum in modum robore valent, præcipuè cornibus, vel dentibus. Vnde Appulejus penè initio lib. vii Metam. *Nec enim Charite maritum suum querere patiebatur bestias armatas dentibus, vel cornu.* Priori valet aper. Vnde Martialis lib. xii, epigr. xciv:

Dente timetur aper. —

Imò dentes iis tanti sunt ardoris, ut, si admoveris pilos, crispentur, & urantur: si credimus Xenophonti in Cynegetico, Polluci Onom. lib. v, cap. xxi, & Oppiano in tertio *κυνήγιον*. Et vel sic, vel improprie, accipere possis hoc Ovidii x Metam. fab. de Adonide:

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apris.

Quodque Appulejus prope initio vii Metam. ait: *Aper exurgit dentibus attritis sonaci spiritans, oculis ad aspectum minaci flammæ, impetum sævo frementis oris totum fulminem.* Et mox: *Incendio feritatis ardescens bestia, dente compulso, quem*

primum insiliat contabunda, rimatur. Ac similiter Oppianus lib. i *κυνήγιον πρῶτον* *καταφύγει* *; & Statius xi Achilleidos *fulmineos fœnes* dixit.

Canibus etiam præcipuè in dentibus præsidium est. Robore quantum valeant, is documento fuerit, quem Alexandro M. donarat Albanæ rex. Elephantum enim prostravit; ut Plinius refert lib. vii, cap. xl: atque idem, paullo tamen aliter, narrat Solinus cap. xx. De canibus quatuor Indicis, eidem ab Sopithe rege donatis, qui leonem eximæ magnitudinis interemere, vide Diodorum lib. xvi, Strabonem in xv, Curtium lib. ix; qui tamen in dubium id vocat. *Equidem, inquit, plura transcribo, quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito; nec subducere, quæ accepi.* Sed ex eo, quod de Albano cane retuli, satis fides adstruitur isti, quod Curtio est suspectum. Deque leonibus victis à canibus Indicis, etiam legas apud Polucem lib. v, cap. v. Et facit eodem, quod propter singulare robur (quam lucem lib. v, cap. v. in bello iis auxiliaribus uti soleant: uti de Gallis testis est Strabo in iv; de Colophonis, & Castabalsibus, Plinius loco memorato; de populis Caspiis, Valerius Flaccus lib. vi Argonauticôn; de Magnetibus, Iulius Pollux Onomast. lib. v, cap. v. Nec dubium, quin Henricus vii, Angliæ rex, ob hunc præcipuè usum Carolo v in reliquis auxiliis cum quadringentis militibus totidem miserit canes adversus Galliarum regem: ut ex Anglici legati ad Poloniæ regem literis narrat Olaus Magnus Historiæ Septentrionalis lib. xvi, cap. vii.

Rhinocerotis autem sua vis est in cornu; quod unicum habet in nare, ac prævalidum. Scio, Pausaniam, in Bæoticis, geminum tribuere; in nare unum, quod dixi; alterum supra illud, minutum: verum scriptores posterioris rarè habent rationem. A majori igitur, validiori cornu, quod in nare habet, *rhinoceros* dicitur, quasi *naricornem* dicas. Atque cornus hujusce fiduciâ concurrere audent cum elephanto, viribus licet impar. Nam si ventrem nequeat contingere proboscide, & dentibus, ab elephanto superatur. Sin ad eum pertingendi copia sit, cornu (quod ad cautes acutere solet, sic ut ferro certet) ventrem aperit, atque ita elephantum exanimat. Refert id Agatharchides libro primo de mari rubro cap. xxxvi; atque ex eo Photius *Μυριοβίβλος* cod. ccl: paucis item Plinius lib. vii, cap. xx, his verbis: *Rhinoceros unius in nare cornu: alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato præparat se pugne, in dimicatione alvum maxime petens, quem scit esse molliorem: longitudo ei par, cuncta multo breviora, color bruxem.* Similia Diodorus Siculus lib. iv bibliothecæ. De forma ejus vide inter alios Strabonem in x, Artemidori de eo verba adducentem. Primus hoc animal in spectaculo exhibuit, non Augustus quidem; quod Dio scripsit lib. li: sed Cn. Pompejus Magnus; ut refert Plinius lib. vii, cap. xx, & Solinus cap.

cap. XLIII. Eundem Cæsar, seu Titus, seu Domitianus, commisit cum uro, De quo certamine sic Martialis, vel alius, in Spectaculorum libello * :

*Namque gravem gemino cornu sic extulit urum,
lactat ut impositus taurus in astra pilus.*

Sententia est ista : Vt nullo taurus negotio pilas jactat in aëra : ita & rhinoceros urum sustulit, gemino licet cornu gravem. Et meritò ait gravem hac parte, si cornua ejus, ut ait Plinius †, binas impleant urnas. *Vri* autem, non *urfi*, legi hoc loco oportere, non dubium Bataviæ suæ ornamentum Ianus Douza acutè vidit, & Martialis ille sospitator, Petrus Scriverius, abunde comprobavit. Et profectò, qui tam impar urfi, & rhinocerotis certamen oblectasset populum, cum vulgari etiam tauro superare ursum minimè sit operosum ?

Est & in cornu sua vis monocerotis : cui itidem in Mangi provincia perpetuum cum elephanto est bellum : ut refert Nicolaus de Comitibus Venetus in Itinerario ad Indos. Sed rhinocerotem ille vocat : perperam omnino, quando ipse agnoscit, cornu illud, quod bipedali habet magnitudine, in fronte gestare, non nare : ut non possit *rhinoceros* dici, hoc est, *naricornis* ; sed vocandus sit *monoceros*, hoc est, *unicornis*. Quamvis & rhinoceros unum habeat cornu. Vnde Tertullianus adversus Iudæos libri cap. x : *Non utique rhinoceros destinabatur unicornis, vel minoris bicornis ; sed Christus in illo significabatur.* Verùm non si *unicornem*, eò & *naricornem*, rectè dixeris ; sed *fronticornem*, vel *cornifrontem* ; quomodo de bubus Livius Andronicus ait apud Nonium † :

Tu cornifrontes pascere armentas soles.

Scio, Scaligerum * *curvifrontes* reponere : sed citra causam, & contra MSSorum fidem, etiam nostri, optimæ fidei ; in quo, non multum abeunte scripturâ, est *cornifrontes*.

His etiam cornifrontibus armentis, bubus inquam, & præcipuè tauris, quantum in cornibus sit roboris, satis illud docet, quod Anacreon od. 11, & Porphyrius lib. 111 de abstinentia ab animalibus, naturam ajunt, cum alia aliis tribuisset, tauris cornua dedisse. Plautus quoque Aulul. 11, 11, postquam dixisset, *Asini me mordicibus scindant, —* hoc est, dentibus, subdit,

— boves incurfent cornibus.

Imo Romani in Circo taurum etiam mittebant cum rhinocerotem, aut leone. De priori est apud Martialem libello de Spectaculis : de altero lib. 1, epigr. 111.

Quod si tantum sit robur tauri vulgaris : quid existimandum de bubus feris, ac sylvestribus ? ut sunt uri, quos etiam cum rhinocerotem commisso,

antea

antea vidimus. De iis sic Cæsar in v de bello Gallico : *In sylva Hercynia nascuntur, qui appellantur uri. Is sunt magnitudine paullo infra elephantos, specie, & colore, & figura tauri. Magna vis est eorum, & magna velocitas : neque homini, neque feræ, quam conspexerunt, parant.* Macrobius Saturn. lib. vi, cap. 14, cum citasset hoc Maronis †, *Sylvestres uri assidue* ; subdit, *Vri enim Gallica vox* † 2 Georg. 373. *est, qua feri boves significantur.* Vbi *Gallica vox*, eadem, ac *Celtica* ; quia ante tot gentium transmigrations prope eadem omnium erat Celtarum lingua. Celtæ autem non Galli modò vocantur ; sed etiam Germani : imò & Hispani, Britanni, Illyres : quâ de re diximus lib. 1 hujus operis cap. xxxi 11. Germanicum esse, docent Glossæ Philoxeni : *Vros*, ῥῦς Γερμανός. Legendum enim : *Vros* (vel *Vrus*) ῥῦς Γερμανός. *Vr* autem Germanis, tum *sylvestre* notat, tum *vastum* ac *validum*. Hodieque Germanis *urus* est *ur-osth*, hoc est, bos sylvestris, vel validus ac potens : quomodo & *ur-haen*, sylvestris gallus. *Vros* autem aliâ dialecto *urox*, vel *aurax* ; imò & *thuros*, vel *thurox*. Martinus Cromerus in sua Polonia scribit : *Vri, id est sylvestres boves, quos nos thuros dicimus, in solis Masoviticis sylvis apud Viskitcos exstant.* *Thur* pro *Vro* dici in Samogithia, & Mazovia, etiam refert Cæsar Scaliger Exercit. ccvi, sect. 111. Gesnerus * tradit, juniores uros vocari Polonis *thyrones* ; * in Quadrupedum historia. ac putar esse veterum *tarandos*. Sanè *thyron*, & *tarandus*, perparum abeunt. Quæ autem adduximus de uris, eadem intelligimus de bubalis, non Græcorum illis, sive ex bouum minorum, sive ex caprearum genere sint : sed vulgari significatione ita dictis. Nam etsi aliud sit *bubalus*, ac *urus*, si accuratè rem perpendas : jam stante tamen Rep. Romanâ, *bubalum* pro *uro* nominabant. Plinius lib. viii, cap. xv : *Vris imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cum id gignat Africa, vituli potius, cervicæ quadam similitudine.* Quod & Solinus tradit cap. xxv. Sic *bubali* nomine usus Martialis, vel alius, libello de Spectaculis cap. xxi 1 :

Illis cessit atrox bubalus, atque bison.

Quæ animalia etiam junxit, sed proprio sermone, Seneca in Hippolyto act. 1, sc. 1 :

Tibi villosi terga bisontes,

Lasique feri cornibus uri.

Similiter bubalum pro uro usurpat B. Hieronymus Amos cap. vi, *Nunquid currere queunt in petris equi ; aut arari potest in bubulis ?* Quem ad locum hæc annotavit : *Vtrinque domus ruinas & scissiones equis & bubalis comparat : quorum priores in petris currere nequeunt : posteriores tam indomiti sunt, ut jugum cervicibus non recipiant, & cum sylvestres boves sint, propter feritatem nolint terram vomere scindere.* Hæc sanè optimè conveniunt uro : qui hodieque ob feritatem ad arationem est ineptus. Capiendus itaque is locus de bubalo vulgari,

gari, qui in bubus est sylvestribus; inque Germania nascitur: non de illo Græcorum è genere caprearum, qui frequens in Africa: quos confundit Isidorus lib. xii Orig. cap. i. Nam cum dixisset, bubalum esse similem boum; sed aded indomitum, ut præ feritate jugum cervicibus non recipiat: (quæ, more suo, ex B. Hieronymo exscripsit:) subdit, eum in Africa nasci: quod non de bubalo vulgari, sed Græcorum illo, verum est.

De bisontibus (quos & ipsos multi cum bubalis, atque uris, confundunt,) hunc in modum scribit Solinus cap. xxxiii: *In tractu saluus Hercynii, & in omni Septentrionali plagâ, bisontes frequentissimi sunt, boves feris similes, setosi, colla jube horridi, ultra tauros pernecitate vigentes, capti adflescere manu nequunt.* Iubatos dicit Plinius, ut vidimus: item Oppianus in tertio de Venatione, qui & barbatus esse addit. Vulgo apud eum legitur *βίσων*: nempe quia dicit, nomen habere à Biston, quæ est Thracia. Verum verus jubet, ut *βίσων* scribamus; pro quo & *βίσων* dixere; ut est apud Dionem. Nec nomen bisoni, seu bisonti, à Biston; sed à *visent*, seu *visent*; ut nuncupant Germani. Nam B, & V, crebro commutantur. De hoc Oppiani loco diximus etiam lib. i de arte Grammatica cap. xvi. Tantum autem bisonibus in cornibus est robur, ut iis equum cum equite in aëra projectent.

Tauro quoque, vel bisonti, similis est bonafus: unde cum eo confundit Albertus Magnus*. Sed huic non idem est in cornibus præsidium; quia sunt adunca, & in se inflexa, eoque pugnae inutilia; ampla alioqui, ac tam capacia, ut contineant *ἡμίχυν*†, sive dimidium congium; hoc est, tres sextarios; ut Theodorus Gaza, & Iulius Scaliger, perperam *semisextarios* vertent. In hac verd cornuum inutilitate ad pugnam, aliter ei Deus prospexit. Nam, ut Plinius‡ scribit, *dum fugâ sibi auxiliatur, reddis finem interdum & jugerum trium longitudine: cuius contactu sequentes, ut ignis aliquis, amburæ.* Quod & apud Solinum legas cap. xlii. Sed planè id est incredibile, cum jugerum habeat longitudinem cclx pedum. Quod animal proluviem alvi per tantam egerat longitudinem? Quare Aristoteli insistentium, cum ait, *finem ejaculari vel ad quatuor orgyas*. Orgya autem Helychio est *ἡ τῆς ἀμφίπλευρης χειρὸς ἕκαστης, ἀμβύωντος ἡ ἀμφοτέρωθεν ἡ ἀμφοτέρωθεν*, nempe una cum pectoris latitudine; quanta homini cuique sua esse longitudo solet. Quare non satis dixere Gaza, & Scaliger, cum *orgyam* vertunt *passum*.

Cornibus etiam præditi sunt cervi: unde Martialis*, loco ante memorato: — *Defendunt cornua cervinum.*

Sed hoc animal non tam timetur, quàm ipsum timet; ut lepores, & pæraque alia animantia ingenti corde prædita: in quibus ob laxitatem minus stipatur calor natus.

Subdam

Subdam de natura alterius animantis, cervo non absimilis. Nicolaus Menardes inter alia de animantibus, unde bezoar lapis extrahi credatur, narrat, animal sibi visum, ex remotis Africæ terris apportatum: quod cervo quidem simile foret magnitudine, capite atque ore, item agilitate, pilis, ac colore: cornibus autem in tergum reflexis, inque extremo contortis, præterea etiam pedibus, ingenti hirco simile videretur. Hoc animal tanti ait roboris fuisse, ut vincendum esset ferreis catenis, quia funes dentibus confringeret. Idem præterea de turri desiliens in cornua illæso corpore concidisse, ac ut folles sive pilæ vento plenæ in humum collapsæ solent, citra noxam subsultasse. Quod ut magni roboris, ita & eximiae agilitatis, indicium est.

Sunt & animalia, quibus fiducia sit in duritia tergoris. Vt tauris sylvestribus cum eale decertantibus. De his sic Plinius lib. vii, cap. xxi: *Tergori, inquit, duritia silicis, omne respiciens vulnus.* Par ratio hippopotami: de quo sic idem lib. ejusdem cap. xxv: *Tergori est ad senta galeasque impenetrabilis, præterquam si humore madeat.* Est id animal Niloticum, quadrupes, amphibium, ac quamquam ab equi similitudine nomen acceperit, magis tamen simile vituli, aut porci: ut liquet ex Adriani Cæsaris numismate, & colosso Nili in Vaticano.

Vrsi robur suum est in brachiis, & lumbis; ut Solinus ait cap. xxxix. Atque addit, inde esse, quod interdum posticis insistant pedibus. Caput verd, ut ibidem legas, invalidum est. Vt mirandum non sit, quandam in arena solo colapho exanimatum, ut Plinius* narrat. Præcipuè metuendæ earum vires raptis catulis: unde Chusai ad Absolonum†: *Tu nosti patrem & matrem, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in sylva seuiat.*

Sunt & quadrupeda, quarum robur sit in ictu pedum: ut onagri sive asini sylvestris, quem cum alce perperam confundit Olaus Magnus*. De hoc sunt ista Ammiani Marcellini lib. xxi: *Asini feri, cum venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant.* Philes quoque in Iambis de onagro inquit:

Φοβὸς γὰρ ἐστὶ καὶ παρὰ τὴν λαλίστα.

Namque is necat, si calcitrans accesserit.

Alce unico ungulæ ictu interimit quandoque lupum; uti & canem, eoque elabente oppositam arborem elidit: qua de re Olaus M. in undecimo suæ Histor. Vbi in eo peccat, quod alcen, & onagrum, pro eodem habeat.

Crocodilo robur ingens in cauda: ejus ictu validæ etiam quadrupedis

* lib. 22 de Animal.

† Aristot. lib. 9 Hist. Animal. cap. 45. Sed ex Galieni distincti cap. 71. lib. 476. lib. 8. cap. 15.

* lib. 13, 94. 94.

* lib. 8, cap. 36. lib. 2 Regum cap. 17.

* lib. 18 Septem. 17. cap. 1.

* lib. tertio le-
gationum Babyloni-
ca, pag. 441,
edit. Col. 1573.

pedis cuncta crura confringit : ut relatum Petro Martyri †.

Est & aliud armorum genus. Nam hystrix spinarum aliquam, tergo la-
xato, validè aded immittit, ut vulneret canes : quemadmodum Plinius in-
dicat his verbis lib. vii, cap. xxxv : *Hystrices generat India, & Africa, spinâ*
contectas, ac erinaceorum generis : sed hystrici longiores aculei, & cum intendit curre,
missiles. Ora urgentium figit canum, & paullo longius jaculatur. Ac similiter Athe-
næus lib. v, Oppianus lib. i & i Kυνηγι. & Suidas in γσπξ. Hinc Aristopha-

* secundâ, eujus
initium, & ius
etiam.

nes Ειρήνη * : — Μῶν ὑσπρὶς εἰσβάλλει σοι

Εἰς τὰς πλευρὰς πολλῇ σπῆλιν· καὶ κιν-
δρόμην τὰ νῶτα ;

— Irrumpit hystrix an tua

In latera multo exercitum, & tergum tuum

Cum arbores diffecit ?

Similiter Solinus cap. xxxi, Isidorus lib. xxi Originum cap. i, &
elegantè imprimis fusèque Claudianus poematio, quod Hystrix inscribi-
tur. E junioribus M. Paulus Venetus etiam in Tartaria esse dicit lib. i,
cap. xxxi, ubi de civitate Scâssæ agit : *Sunt, inquit, in regione istâ multi*
sues spinosi, qui cum capiuntur, spinis suis sæpe homines & canes lædunt. Vbi cum
suet spinosum vocat, prope expressit Græcum ὑσπρξ, quod est ex ὕς, id est,
sus, & σπξ, pilus : quamquam non ὑσπρξ modò, sed etiam ὑσπρξ, & ὑσπρξ
dicatur. Italis similiter vocatur porco spinoso : Germanorum plerisque
Dornschwein.

C A P V T L V I I.

Cervorum pulchritudinem præcipuè consistere in cornibus ; & cur iis careant cervæ.
Inque isto Anacreontis, & Sophoclis, error, à Iulio Polluce jam olim observatum.
Cur cornua quotannis decidant cervo, ac nova succrescant. Qui dicantur νερό,
πατῆλαι, παθίνας, ἀχαιῖνας, δικροῖται, κλαδίαι, κιάσαι. Vehementer decipi,
qui putant, cervinis cornibus non plures excrecere ramos, quàm senos. In dubium
vocari, quod de annuo cornuum recidivum prædicatur. Cervus Οἰεβρί, & Νο-
vembri mense, astro Veneris percitus, cornibus ferocire ; ut ad sui etiam tutelam,
non solum formæ gratiâ, hæc acceperint. Simiæ in deformibus dari locum.

VTi autem à facultate vegetativâ magnitudo, ac robur, dependent, ita
& pulchritudo : quæ sua cuique est quadrupedum : hæc equo, illa
cani, atque ita in aliis. Inque hac ipsa est tanta varietas, ut in isto etiam
nemo satis celebrare, vel æstimare, possit sapientiam Dei infinitam. Lon-
gum hoc loco foret ire per singula : quisque mentem per ea circumferat,
quæ conspexit : & quia alii hoc, aliud alii pulchrum videtur, saltè ani-

imum

num paullisper defigat in illa, quæ plurimum judicio commendantur. No-
bis quidem suffecerit hoc loco, si cervum contemplerur : cujus pulchri-
tudinem sic depinxis, recentioris, sed magni viri verbis ; Budæi dico, in
posteriori de Philologia libro : ubi ita describit * cervos, quos venatores
præcipuè laudant : *Capite, inquit, præditus est commode nato, compactili, concin-*
no, recte, ordine, decenter constituto. Stipitem enim corneum, quam vos materiem dici-
tis, apè ajunt erumpere è molis suis, & existerè : quæ sedimenta sunt cornuum, tum
tabulata ipsa fruticantia è molis concinnè in ramos esse expansa : scapos è caudice pro-
portionè enatos : è scapis porro cornicula producta in mucrones congruè desinere : non
contractiora ipsa, quam justum est, non diffusiora, non absurdè confornicata, tum probè
clavatum esse caput, & congruenter patulum, & æquabili fruticatu decorum : mate-
riam autem ipsam caudicis, pulchrè sulcatam esse, atque inter sulcos striasve (quas vos
quasi colliquias appellatis, atque stillicidia) scrabiunt eminerè æquabiliter unionatam :
quod mihi verruculosam significare visum est. Sic ille, satis diseretè : sed more
nostro, potiùs insistamus antiquis : ut Oppiano, in tertio Κυνηγιων † : † vers. 177, &
ubi pulchritudinem cervi constituit in capite arduo, oculis grandibus, pin-
gui picto tergo, ac imprimis cornibus : de quibus illud * : * vers. 194.

Οξύκομον κεράων πολυδαίδαλον αἰόλον ἔρνος.

Acutum cornuum, affabre factum, variumque ramale.

Mox & cornua vocat ἐυκέρεια, pulchrè fissâ. Maronis etiam est i Æn.

Ductoresque ipsos primum capita alta ferentes,

Cornibus arboreis sternit.

Sanè pul-

chritudinis præcipuè causâ iis cornua data esse, Plinius †, & Oppianus *, † lib. i, cap. 37.
tradunt. Quocirca non injuriâ miretur aliquis, naturam non attribuisse
se tam feminæ cornua, quàm mari ; cum sequior sexus videatur à forma
potiùs debuisse commendari. Sed, ut ubique, ita hic quoque, se divina ex-

seruit providentia. Nam cum cervus cervâ validior sit ; par fuit mas ge-
standæ amplorum cornuum moli : feminæ autem, ut infirmiori, ea, præ-
sertim tempore gestationis, fuissent permolesta. Cui rationi favet Aristo-
teles lib. i de partibus animalium cap. i. Plerique tamen poetæ etiam
cervæ tribuunt cornua : ut ostendit Ælianus hist. animal. lib. vii, cap.
xxxix. In his, præter Euripidem, Anacreon, & Sophocles ; quorum uter-
que dixit κέρειαν ἱλαφον, cervam cornuatam. Testis Pollux † ; sed eos pro-
pterea reprehendit : & omnino est error poetarum, non κατ' αὐτῶν ποίη-
σιν, ἀλλὰ κατ' συμβεβηκός * : quemadmodum, & Aristoteles in poetica refert, * non in poetæ
& nos in primo de eadem arte, ubi de poetarum erroribus differimus. natura, sed per
Admirationem verò de cornibus cervinis auget, quòd ea hieme decidant, accidens, sive in
vernoque tempore renascantur, atque id quotannis. Ac creduntur cervi
tum intelligere, multum se amisisse de sua pulchritudine. Nam latère di-
cuntur,

* pag. 80, edit.
Basil. an. 1557.

* vers. 194.

† lib. i, cap. 37.
* lib. 3 de Venat.
vers. 183, &
sc. 2.

* non in poetæ
natura, sed per
accidens, sive in
sc. 2.

VI II, cap. LIV : *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio. Gestant catulos, quos mansuetæ intra domos peperere; omnibus demonstrant, tractantque gaudent, similes gratulationem intelligentis.* Interea in amore nesciunt modum. Nam, ut subjungit, *magna ex parte complectendo necant.* Non utrumque tamen simiæ enecant fœtum; sed geminum parientes, alterum duntaxat; ut Oppianus ait lib. I I ΚΥΝΗΓ. * Item Orus in Hieroglyphicis, & Avienus in fabulis Æsopæis. Attamen inter eos non convenit, utrum amore, an odio, priorem interimant. Sed prius non paullo est verisimilius. Romani nihilominus alteram videntur sententiam secuti, cum simiam unâ cum paricida culco insuerent. De quo Cicero pro Roscio Amer. & L. penult. D. de leg. Pomp. de paricidiis, & L. unica c. de his qui par. vel lib. occid. & tit. ult. Instit.

* vers. 605.

† vide proli animant.

Verum quid simiis insisto? quando, non hominibus dico, quod Euripides Phœnissis ait; sed animalibus obtigit cunctis φιλότιμος βίος †. Duo videri possint huic rei ob stare; stupor, & feritas. Sed quid stupidius asino? Atqui asinæ, ut ait Plinius lib. VI II, cap. XLII, *partus charitas summa. Per ignes ad fœtus tendit.* Solum aquas ita reformidat, ut ne prolis quidem causâ pedes ausit tingere, si minimus intersit rivus: quod ibidem Plinius indicat.

Iam quid efferum magis, siue lænis, de quorum erga fœtum amore antea vidimus: siue tigribus, de quibus Philostratus lib. II vitæ Apollonii cap. VI I : siue lyncibus, & pantheris; de quibus, uti & illis proximè memoratis, idem testatur Oppianus in tertio de Venatione *. Sanè sic propugnant fœtus, ut nulla vulnera, vel ictus extimescant. Atque hanc φύλην esse à natura (contrà quàm Epicurei † volebant) rectè ait Diodorus Siculus lib. II Hist. Ἀγαθὴ ἡ φύσις διδάσκαλος ἀπασιν τοῖς ζώοις ὅτι πορὸς διατήρησιν ἢ μένον ἑαυτῶν, ἀλλὰ ἔτι καὶ ἡμιόμοιων, ὅθεν ἡ συνένεος φιλοζωίας, τὰς διαθεχὰς εἰς αἰδιον ἀγυῖα διαμεινὸς κύκλον. *Natura est optima magistra cunctis animantibus ad conservationem non sui modò, sed & sobolis: idque insito vivendi amore, ad perpetuam durationis orbem propagationem sui generis extendendo.* Hoc argumentum Plutarchus fuscè proprioque tractat libello, quem inscribit, περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φρονήσεως. Quibusdam verò animantibus non modò φύλην * inest erga fœtus proprios; sed etiam sui generis alienos. Apparet hoc ex eo, quod Plinius ait lib. VI II, cap. XLII : *Amisâ parente in grege armenti, reliquæ fœtæ educant orbem.* Quod & antè proditum Aristoteli lib. IX Hist. Anim. cap. IV.

† de amore natura insito erga prolem.
* amor naturâ insitus.

Nunc videamus de amore, odiove, erga alterius generis animantia, itidem rationis expertia. Mira est inter quadrupedes, & avium quædam συμπαθεία † : cujus generis ab Oppiano in secundo de Venatione * memorantur, cervi, & attagenis; damæ, & perdicis; equi, & otidis; lupi, & psittaci. Similisque amor, ut ibidem dicitur, est inter subum, animal amphibium,

† natura consensio.
* vers. 403, & seqq.

bium, & pisces. Vide de hujusmodi diversi generis animantium amore mutuo Cyrum, ut posteriores Græci dixere, hoc est, κύριον, siue dominum, Theodorum Prodromum, de Amicitia exulante; & Erasum, Colloquio de Amicitia.

Contra ἀντιπάθεια * est summa in aliis. Cujus non aliud celebratius habemus exemplum, quam lupi, & agni. Ea durare quoque creditur in pel-libus. Nam si pariter pulsantur tympana duo, lupino unum, ovillo alterum corio obductum; illius sonus validus erit, & terribilis; hujus, præ priori, vix poterit audiri. Atque ajunt, idem habere locum in chordis è lupinis, & ovillis intestinis. Aristotelem adi lib. IX Hist. Animal. cap. I. Plinium lib. X, cap. LXXIV, Oppianum lib. I I I ΚΥΝΗΓ. Sed est causa istius naturalis, quia tympanum, & chordæ è pelle lupina, sint duriores, & clariùs sonent; ut inferiùs dicemus. Cameli, ut Plinius † ait, *odium adversus equos gerunt naturale.* Exemplum odii ejus habemus in proelio inter Cyrum, & Cræsum, apud Herodotum lib. I : & tangit Ælianus lib. I I I de Animalibus cap. VII.

* natura dissensio.

† lib. 8. cap. 18.

Simile odium inter elephantum, & rhinocerotem. De quo sic Plinius lib. VI II, cap. XX : *Alter hic genitus hostis elephanto. Cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione alvum maximè petens, quam scit esse molliorem.* Vide & Oppianum in I I de Venatione. Ac Sebastianus Munsterus narrat lib. V Cosmograph. Emmanuelem, Portugalliæ regem, anno c I c I c x v inter se commississe hæc animantia; sed rhinocerotem fuisse victorem.

Itidem sunt inimicitie sui, & elephanto : ut legas apud Ælianus lib. I de Animalibus cap. XXXVI I, Suidam in Κικραγμῶς, Philen in Iambis cap. XIV. Ac Suidas addit, eò aliquando de turri, suspensos suos, ut grunnitu ejus terrentur elephantum. Imò Ælianus * non veretur scribere, eo Romanos artificio victoriam dici de Romanos reportasse. Sed hoc antiquiorum prodidit nemo : credo, recentior aliquis nugator Græculus illuserit Æliano. Itidem dissident suos cum lupis, teste Aristotele, ac mustelis, ut Plinius narrat lib. X, cap. LXXIV; ubi & legas de dissidio rhois, ac leonis.

* lib. I de Animalibus, cap. 38.

Adhæc pardalim hiæna perhorrescit, ut ait Ælianus lib. VI de Animal. cap. XXI I. Etiam inimicitie sunt hyænæ cum canibus. Vnde Iesus Sirach in Panareto cap. XIII : *Quæ pax hiænæ adversus canes? quæ pax divitiis erga panem?* Hujus ἀντιπαθείας argumentum etiam comparet in pelle hyænæ. Nam si eam momorderit canis, dentes ejus obstupefacit; ut qui hanc gestant, immunes sint à morsu canino; quemadmodum Oppianus tradit in I I I ΚΥΝΗΓ. Porro eum ad Oppiani locum vir optimus, & doctissimus, Conradus Ritterhusius, annotavit, non solum gestando hyænæ pellem; sed etiam, si nos prosternamus coram cane, posse ejus morsum effugere, modò

* cap. 3.

modò fides sit Aristoteli, quem id scribere ait in secundo Rhetoricorum*: decepere eum Aristotelis interpretes, qui putarunt, loqui summum Rhetorem ac philosophum de lenitate canum erga homines se prosternentes, cum sermo ei sit de canibus, qui parcunt canibus peregrinis, si sedeant, vel, humi strati, sese quasi victos fateantur: ut diximus quoque Oratoriarum Instit. lib. 11, cap. 111, sect. 111.

Sunt & quadrupedum inimicitiae cum avibus. Ita dissident mustela, ac cornix; vulpes, & æsalo. Vel cum serpentibus, ut vulpes cum Nili angibus. Vel cum insectis, ut ichneumon, ac vespæ. De quibus Plinius loco proximè memorato.

† lib. 3 de Animal. cap. 24.

Quantopere interim natura immutetur etiam efferorum animantium, si simul educantur; argumento erit exemplum, quod Ælianus † narrat de pardo unà educto cum hædo. Hoc enim mortuo, carnibusque pardo objectis, licet famelicus, abstinuit ab iis, non sustinens edere veterem contubernalem. At, oblatis alterius hædi carnibus, avidè eas devoravit.

Tertio me loco dictarum receperam de amore hominis. Is erga bene meritos magnus equis inest. Nam, ut Plinius ait lib. vii, cap. xlii: *Amisso lugent dominos. Interfecto Nicomede rege, equus ejus inedia vitam sinivit. Philarchius refert, Centauretrum * è Galatis, in prælio occiso Antiocho, potitum equo ejus, conscendisse ovantem. At illum, indignatione accensum, domitis frenis, ne regi posset, præcipitem in abrupta isse, exanimatumque unà.* Atque idem narrant Ælianus lib. vi de Animal. cap. xlii, & Solinus cap. xlvii. In nomine tamen ducis paullum variant. Nam qui Plinio *Centauretrum* (ita & in MSSis Salmastii reperitur) is Æliano *Κένταυρος*, Solino *Centauretrum* †. Sed de equorum, imò & canum erga dominos amore, inferiùs * quoque aliquid dicemus.

* Huic la Bion, qua & in Parmensi est edit. anni 1476, Ælianum favet: sed si Solinum sequimur, legendum, Centauretrum è Galatis in prælio occiso, Antiochum potitum, &c. † Imò & sic in Plinio Parmensi, editionis ejus, quam proxime duci.

* cap. 309.

Ajunt & rhinocerotem esse feminei sexus amatorem: nudà autem virgine sic affici, ut in ejus sinu deponat caput: atque ita exuere feritatem omnem: in sinu autem ejus soporatum capi. Referunt Albertus M. & alii juniorum: nec memini me apud antiquiorem legere, quàm Isidorum Hispalensem Originum lib. xii, cap. 11. Eodem vero hoc loco habendum, ac fabulæ Æsopicæ. Commento enim hoc significare voluerunt, nullam esse vim tam efferam, quin amore dometur: unde & poetæ finxerunt, Iovis sui superbiam Cupidini se submittere.

CAPUT LXI.

Quà mente jura naturale esse dicatur, quod natura omnia docuit animalia. Capræ, ac fœlicis pietas erga parentes. Grati etiam animi vestigium pardo inesse. Equorum, ac canum, erga dominos fides. Tanti abstinentia à vacca, ubi conceperit: solamque equam,

equam, & suam, gravidam marem admittere: & chr mulier quoque fœta viri sit patiens: etsi quædam, ut Zenobia, ubi gravidam se sciret, concubitu abstinerint. Quorsum Deus caudam tribuerit quadrupedibus. Camelus in congressu Massagetis verecundior. Quantopere, & cameli, & equi, coitum cum maire averfentur. Generositas equi, & canis. Mpossicorum, & Chaonidarum canum origo, secundum poetas. De vulpe Tenmessia. Proverbiū, Vbi cervi cornua abjiciunt. Dissentire in hoc veteres, utrum cervi, dum cornibus carent, eo delirescant, quòd deformiores conspici pudeat; an quia tum imbecillitati suæ diffidant.

AB appetitu, quò amor, cæterique pertinent affectus, conferam me nunc ad virtutes, quæ affectus eos in nobis moderantur. Neque ignoro, rationis expertia propriè virtutes habere nullas, uti neque vitia moralia. Attamen, ut rationis habent umbram ac vestigium; ita & iis insunt multæ virtutum imagines, ac simulachra: ut Tullius in xi de Finibus jure statuatur, bestias esse specula naturæ. Ac Iurisconsulti propterea non refugiunt dicere, jus naturale esse, quod natura omnia docuit animalia; non quasi bestiae etiam sint juris intelligentes; sed quia multa, quæ homines agunt ratione, bestiae faciant instinctu naturæ: ut non aliunde meliùs, quàm ex bestiis, quid sit juris naturalis, cognosci possit. Ex hisce moralium virtutum simulachris nonnulla apponam: & quia de prudentia, virtute dianoeticâ moralium directrice, antea vidimus, cum de sagacitate phantasiæ ageremus: deinceps dicam de tribus illis, quas itidem cardinales vocant virtutes, justitiâ, temperantiâ, fortitudine: ex quibus temperantia se habet instar fundamenti, fortitudo velut muri, justitia pro tecto, ac fastigio perfectioneque censetur. Temperantia concupiscentem dirigit facultatem; fortitudo, irascentem; justitia, utramque.

Iustitiæ est suum cuique tribuere: ut huc etiam pertineat, quòd parentibus, aliisque bene meritis, suus rependitur honos. Quale est, quod capræ parentes senectute confectos cibo potuque alant, & foveant. Elegantissimis eam rem versibus, mutuamque illam *σὺν ὀφείλῃ* *, expressit Oppianus * in xi de Venatione †. Sorices quoque (ut apud Plinium legas lib. vii, cap. lvi) genitores suos, fessos senectute, alunt insigni pietate. Hæc de grato erga parentes animo.

Erga quosvis verò, qui bene fecerint, se gratos præstant (ut alia præteream animantia) pardi, efferum licet animal. Hoc elucet exemplo, quod contigit Philino, sapientiæ affectatori: de quo Plinius lib. vii, cap. xvii.

Illud quoque justitiæ est, fidelem esse erga dominos; saltem eos, à quibus quis honestè habeatur. Hac parte magna est laus equorum, ac canum. De equis, (ut Homerum, de equis Achillis; Maronem; de Pallantis equo;

* charitatem naturalem. † à versu 343. signa ad 374.